



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sacrum Misericordiae Palatium**


Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi  
peristromatibus exornatum

**Gazaeus, Nicolaus**

**Augustae Trevirorum, 1618**

Qvare Excommvnicati Et Hæretici Cvm Fidelibvs Sepeliendi non sunt.  
Capvt LXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54459)



QVARE EXCOMMV-  
NICATI ET HÆRETICI CVM  
FIDELIBVS SEPELIEN-  
di non sunt.

CAPVT LXIV.

**P**Rimo. Quia Hæretici criminis læsæ  
maiestatis diuinæ rei sunt. Quis id ig-  
noret? Nam licet se Deum agnoscere ore  
fateantur, factis tamen negant, sicque infi-  
delibus, Paganis, deteriores sunt. Hos nam-  
que excusat ignorantia: at Hæreticos dam-  
nat peruersissima malitia, siquidem non in  
incertum pugnant, sed in eum arma sumūt,  
quem sciunt ipsam veritatem, & Ecclesia-  
stici corporis verticem esse. Ideoq; grauius  
ab infidelibus merentur suppliciū. quem-  
admodum enim subditus in superiorem ar-  
ma sumens grauius offendit quàm si extra-  
neus eiusmodi bella suscitaret: Ita planè Hæ-  
retici, qui Christū (vt dicunt) agnoscentes,  
eius tamen mysticum corpus q̄ est Ecclesia  
oppugnant & infectātur. Quod Aug. rectè  
aduer-

*Lib. 2. contra  
Donatiam.*

aduertēs, dicit Hæresim infidelitate esse abominabiliorē. Et reuera peius est Ecclesiam scindere & lacerare, quàm Idolis sacrificare. Sicut etiam meritorium magis est martyrium quod sustinetur pro hæresum oppugnatione, quam quod suffertur à nolentibus Idolis thura dare. Si ergo rei læsæ maiestatis Ciuiler communi sepultura priuantur: quid ni Hæretici qui diuinæ maiestatis rei sunt, ab illa sacra fidelium sepultura repellantur, qui tot animas ad tartara comburendas transmiserunt, & diuina ultionis æternis adiudicati sunt tormentis?

*Secundo.* Quia in nulla re cum fidelibus communicant & à sacramentorum participatione recesserunt, diuinisque valedixerunt mandatis. Impium igitur esset eis sepulturæ communionē præstare, qui in cæteris Ecclesiæ legibus noluerunt conuenire. Nam si Pagani corpora eorum extraherent quorum animas requie carituras existimabant ne eorum ossibus terra pollueretur; patine poterunt Christiani eorum corpora condi, quæ non ad aliū finem suscitanda cognoscunt quam ad incolatum inferni? Legibus denique ciuilibus cautum est, ne quis in ea Ciuitate inhumetur, in quâ vitam communem non duxerit: quomodo ergo

ergo poterunt Christiani eos cemiterijs, excipere, qui exules sunt ab Ecclesia, fidei inimici, & sanctarum ceremoniarum contemptores?

*Tertio:* Quia post mortem cum eis frequentandum non est, cum quibus in vita nulla fuit cohabitatio. Cum igitur iure diuino inhibitum sit ne vlllo modo cum hæreticis conueniamus in vita: nec post mortem similiter conueniendum est. Nulla erat frequentatio filiorum Israel cum Chanaanis, Iebusæis & Amorrhæis; sic nulla esse debet nec in vita nec post mortem Conuentio Christianorum cum Hæreticis; Luminis cum tenebris; veritatis cum mendacio, Christi cum Belial: Sanctorū cum Dæmonibus.

*Quarto.* Quia inhibitum est ne coram hæreticis orationes fiant, cum ipsi corporis ecclesiastici membra non sint, nec sit vlla sympathia inter Christianos & illos: Quod ex varijs conciliorum constitutionibus cōstare potest. Vbi excommunicantur qui in Hæretici præsentia vel excommunicati: preces fundere præsumpserint. Ratio est, quia illi, cum sine charitate sint (quæ tamen ita necessaria est vt sine illa reliqua nihil sint teste Apostolo) Deo etiam carēt, qui Cha-

*Laodicens. c.*  
*73. Chartag.*  
*4.*

Nn ritas

ritas est; quomodo igitur gratæ erunt Deo illorum preces quib<sup>9</sup> Deus & diuina mandata ingrata sunt? Quod si hæc Orationum communio in vita, ita expresse inhibita est, nullo modo post mortem admitti debet. Ideoque tollenda sunt hæreticorum ossa & claustris Templis & cimiterijs, ne in eorū præsentia orent Christiani, quos in vita experti sunt aduersarios & summos inimicos fidei.

QVOD SEPELIRE  
MORTVOS SIT SEPTIMUM  
OPVS MISERICORDIÆ.  
CAPVT LXV.

**E**Vulsis & eradicatis superstitionib<sup>9</sup> nec non hæresibus, æquum est vt splendorē huius postremi operis ostendam quo valeatis currere in semitam diuinorū mandatorum cū regio psalmista qui dicebat: *Misericordia tua ante oculos meos est.* Quod vt rectius fiat dubium aliquod soluendum est.

Dicet aliquis: Christus in Euangelio, sex operum tantum Misericordiæ meminit, ergo septimum non est. Respondeo cum Ec-  
clesia-